Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1089
Quelle:
Copyright:

tium: *Ad te quidem libenter accedimus domine ihesu discipuli ad magistrum* &c. Edit. *Maur.* T. III. *col.* 1165. inter dubios.

XII. *fol.* 158. *Parabola beati bernardi abbatis de guerra inter babilonem et iherusalem.* Initium: *Inter babilonem et iherusalem nulla pax est, sed est guerra continua* &c. Inscribitur etiam *de Conflictu vitiorum et virtutum*, et legitur inter *Parabolas Bernardo* tributas loco secundo edit. *cit.* T. III. *col.* 1248.

XIII. *fol.* 162. Sermo in illud: *Sicut mater consolatur filios suos, ita consolabor vos.* Is. 66. 13. hoc ingressu: *Magna est super nos fratres karissimi pietas conditoris nostri qui multo ampliori affectu nos diligit quam aliqua mater filium suum diligere possit* &c. In *Bernardi* operibus frustra quaesitus eum tamen aemulatur. Habes in eo *septem* genera lacrimarum, *duo* ubera Misericordiae Dei, quae sunt Divinitas et Humanitas, e quibus suguntur *quindecim* bona &c. Ita totus arithmeticus est.

CCXCIII. VII J 3

Codex membraneus lat. partim Sec. XIII. partim XIV. partim XV. Folior. 226. 8. majorem partem nitide exaratus, rubricis distinctus, et olim *Fratrum Carthusiensium prope Confluenciam Montis sancti Beati*, plura continet, quae hic enumerantur: I. *Incipit oratio sancti Hildeberti Cenomannensis episcopi.* Illa, quae ad III. divinas Personas rhythmis dirigitur, et in edit. *Opp. omn. Paris.* 1708. f. *col.* 1337. ita init: 838

Alpha et Ω, magne Deus,

pro quo Codex: *deus meus*, minus recte. Est et cetera Exemplar Editis mendosius, ut vel ex ultimo versu patet:

Pium cantem letanter *alleluia.*

τῳ laetanter manifeste redundante.

II. *fol.* 3. Pius ad Deum Affectus, quem inter *Hildeberti*, cujus tamen esse possit, Carmina non inveni:

Auribus intentis mihi sancte precor deus assis.
Pauperiem serui rex miserere tui.

Distichorum 18. quorum postremum:

Sentiat ut totus quia me dignabere mundus.
Nec me destituas quem pater alme iuuas.